



# NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXI.

DIE XIX. NOVEMBRIS.



*Isbonæ, a. d. 30. Sept.*

Ferunt regem nostrum indulgentissimum statuissse iam, ut Winckfieldus eius que socii, qui balucem, aurosam arenam appellant, exteris vendere, sine regis venia sunt ausi, ac propterea in vincula coniecti, libertati suæ restituantur, nec poenis, quæ huic crimini dictatæ sunt, adficiantur.

*Medritti, a. d. 14 Oct.* Posteaquam ante hos quinque dies, ad aulam regis nostri in secessu Balsainiensi adhuc commorantis, cursor extraordinarius Parisiis missus accessisset, regique nuntiasset, divulgatum iam esse Parisiis fœdus connubiale, Principis Asturiæ cum Montpenseria Principe initum, nec hic amplius rex celandum voluit, quin po-

tius die statim altera publicas supplicationes in æde Virginis Deiparæ ea de causa institui iussit. Iamque et ministros aulicos, Principi huic adiungendos a Rege nominatos esse, videlicet, *Ducem Populi* Summum aulæ præfectum: *Comitem Altamira*, Pocillatorem; *Comitem Santisteranum*, stabularium, aliosque quam plurimos qui ei sint ministraturi. Marchio S. Croix, Sponsam regis Galliarum Luisium \* vsque deducturus dicitur atque ibi Principem Montpensariam suscepturus huc deinde adducendam. Marchio Tolosanus, nudius abhinc quartus de vita decessit, annos nonnisi 40. natus. Qui negociationibus, quæ Indiam versus, instituuntur, in portu Gaditano præest, convocatis mercatoribus publice edixit; singulari Hispaniarum regis erga eos amore factum, ut is aurum, argentum, aliasque mer-

merces ex Hispania noua aduectas, singulis, ad quos illæ pertinent, non solum distribuendas decreuerit; sed etiam illis, qui colligendis vectigalibus constituti sunt, dederit in mandatis, ut præter solitum, quod alias pendunt, tributum, nihil amplius postularent. Dicitur vix potest, quanta exinde lætitia affecti fuerint mercatores, qui ut animum referendæ gratiæ cupidum regi vicissim testarentur, triginta millia numerum muneris loco illi obtulerunt.

\* S. Jean de Luz vrbs Aquitanix finibus Hispanorum propinqua.

*Lutetia Parisiorum. a. d. 9. Nouembr. Nocte, quæ 12. Nouembr. antecedebat,* parum omnino abfuit, quin Cartouchius, quem diligentissima a nobis adseruari, credebamus, custodia, e manibus nobis elaberetur. Is enim per murum, quem clanculum perforauerat, aditum sibi aperuerat in cellam, quæ carcerem proxime contingebat, ex qua deinceps facili negotio in fornicem quandam ædium viam inuenire poterat. Quod ubi ex animi sententia sibi cesisse animaduertebat Cartouchius, & obscurissimis noctis tenebris, se satis tectum occultumque esse arbitrabatur, accidit malo eius, ut a cane, qui catenarum forte strepitu excitatus, latrare coeperat, illico proderetur. Herus enim, qui in superiore ædium parte dormire solebat, latratu canis audito, fures adesse ratus, e lecto quidem repente profiliit, & ad fenestram adcurrens milites, qui vigiliarum causa, noctu per plateas obambulabant, & tum forte domum præteribant, auxilio aduocauit. Qui, penetrauerant, Cartouchium sub tabula absconditum, & alium, quem ex carcere secum abduxerat, in angulo latentem inuenerunt. Itaque Cartouchius cum socio ex late-

bris protractus in manus denuo militum incidit, a quibus in carcerem, ubi nunc diligentius obseruatur, iterum detrusus est. Interea his diebus triginta milites, turmas, quibus adscripti fuerant, nefarie deseruerunt, & fuga prospexerunt salutem, quia fieri posse credebant, ut proditi a Cartouchio, promeritas facinorum pœnas incurrerent. Nihilominus tamen quotidie fere adducuntur captiui, quos socios latrociniorum habuit Cartouchius, inter quos quinque numerantur lictores, qui vinculis & carcere nunc castigantur.

*Alia ex ea vrbe perscripta, a. d. 1. Nouembr.* Nudius tertius Montpensieria, filia Aurelianensis, in sacello regio, ab Aurelianensis matre, & duce Carnutensi ex sacro suscepta fonte est. Heri dux S. Simonis iter ingressus est in Hispaniam, ut Philippi V. regis Hispaniæ filiam regi nostro solemniter petat in matrimonium. Mantua autem Carpetanorum proxime ad nos mittetur dux Offunensis, qui ratum habuisse, confirmabit, Hispaniæ regem matrimonium, quod cum eius filia rex inire cupit. Pontificis orator haud ita pridem regi tradidit tabulas, quibus is sacra secularia in his terris indixit, quare ipsis Nonis Nouembr. illa more institutoque majorum, promulgabuntur. Montpensieria princeps, in Hispaniam abitura, sociam itineris sibi adiunget Chiuerniam; dux autem Ventadouria, quam temperies cœli minus salubris in vrbe hucusque retinuerat, iussu regis ad iter se nunc parare cœpit, ut eo, qui hunc insequetur, mense, Mantuam Carpetanorum versus ire queat. Ceterum ex Hispania ad nos perlatum est litteris, quotidie fere a duce Parmensi, & a legatis, quos Romæ, Genuæque Philippus rex

bet, cursores ad regem venire, quam vero ob causam illi fuerint missi, nemo adhuc dicere potuit.

*Basilea, a. d. 27. Octob.* Die, qui a senatu Schaphusiensi dictus erat, Wichlingensibus rusticis, ut fidem, a qua turpiter defecerant, solemni iureiurando de novo confirmarent, nunc præterlapso, *Neokirchensium* quidam ad eos missi sunt, qui animos eorum accuratius explorarent, & si forte opus esset, ad obsequium cohortarentur. Sed omnes rebus plane infectis redierunt, quandoquidem rustici præfracte in sua perstiterunt sententia, seque nulla ratione facturos esse, quod Neokirchenses postularent, palam professi sunt.

*Petropyrgi, a. d. 6. Octob.* Hesternæ die Cursor Nyfadio missus ad urbem hanc accessit, pacisque tabulas a Rege Sueciæ iam confirmatas, secum adtulit. Quo factò non multo post tormenta omnia, tum ex vallis, quibus vrbs nostra cincta est, tum ex nauibus in portu agentibus, lætitiæ testandæ causa, sunt displosa. Cum autem ad uesperasceret, omnia festis collucebant ignibus, non tantum principum virorum, sed & priuatorum ciuium ædificia, quos ignes ipse quoque Russorum Imperator compluribus in locis spectauit non sine admiratione. Lemmata quoque passim adscripta conspiciantur inter hæc & ista.

*Viuat! Czar belli domitor, pacis  
Triumphator!*

*Aquila & Leo pascentur simul.*

Magnam ex conciliata hac pace, eiusque conditionibus, Russos percepisse lætitiã, vel inde conici potest, quod non solum ignes isti festiui, tres continuos dies sint duraturi, sed & supplicatio solemnis a. d. 22. per omnes ditoni Russicæ subiectas regiones, celebranda, sit indicta. Pacis autem huius conditiones, hæc sunt:

I. Ut pax hæc perpetua sit, neque unquam temeranda.

II. Ut omnis iniuriarum, quæ vtrisque intercesserunt, memoria, obliuione sempiterna deleatur. Qua tamen obliuionis lege haud absolui *Cossacos*, qui bello hoc, Suecorum partes fuere secuti.

III. Ut omnes terra marique continuatæ hucusque inimicitie, post firmatas pacis conditiones, vtrinque ponantur.

IV. Ut Suecorum rex, Magno Russorum Duci, Liuonia, Estonia, Ingermanniæ nec non Careliæ parte quadam, omnibusque urbibus, quæ in his prouinciis sunt; insula item Oeselia, Daghoa, Mœnia, cedat in perpetuum.

V. Quæ ut eo sint firmiora, sancte promittit Russorum Imperator, quarta, post confirmatas pacis leges, hebdomade, Finnoniam vniuersam, ea regione excepta, quæ terminis Moscouiticis accensa est, Suecis restitutum iri; duabus insuper chiliadum chiliadibus, milliones dicunt, ex asse Regi Sueciæ, a Csaro soluendis.

VI. Jus præterea fasque esto, ut Suecis, *Rigæ, Reualia & Arensburgi* quinquaginta millibus *Rubelarum*, frumentum quotannis coemere, & in Sueciam sine censu ac vectigali queant deuehere: annis tamen iis exemptis, quibus vel annonæ caritas obtineat, vel frumentum aliorum exportari rerum domesticarum habitus vetet.

*Reliquæ pacis conditiones proximè sequentur.*

*Vindobona, a. d. 4. Novemb.* Imperator Romanorum in causa Venetorum apud Turcarum imperatorem maxime laborat & proinde Dierlingio, qui res eius Constantinopoli curat, in  
man-

mandatis dedit, vt quæretur ex Turcis :  
 „Initio, num præstare Turcæ deinceps  
 „velint, quæ pace Passarouicii nuper fa-  
 „cta, se facturos receperint? Deinde,  
 „quam ob rem ex Hellesponto emise-  
 „rint classem, quidque illa molirentur?  
 Post, qui factum, vt Turcæ non resi-  
 „sterent piratarum Olciniensium ex-  
 „ursionibus, qui nuper admodum  
 „quingenta homines, Venetorum  
 „imperio subditos, in captiuitatem se-  
 „cum abduxerint; & qua de causa non  
 „satis factum fuerit Ragusiensibus, qui  
 „de cæde a Turcis facta, multum con-  
 „quererentur? Et tandem, num Turcæ,  
 „hæc omnia ipsis insciis, atque inuitis  
 „fuisse facta, argumento saltem proba-  
 „bili docere possent? At enim, cum  
 vix credibile videatur, eos, qui Turcis  
 parent, suo id tantum consilio fuisse  
 ausos; hinc *Dierlingius* simul impera-  
 tori Turcarum pluribus verbis exposuit;  
 violari hac ratione pacem Passarouicii  
 solemniter sancitam, atque imperato-  
 rem Romanorum, ex foedere, quod illi  
 cum Venetis intercedit, omnino teneri,  
 vt pro viribus eorum causam defendat,  
 & tueatur.

*Hagæ Com. a. d. 29. Oct.* Proceres nostri  
 sæpe in consilium conueniunt, dispici-  
 untque, qua ratione pestis, quæ complu-  
 res iam Galliæ prouincias corripuit, vi-  
 rusque suum in dies latius diffundit, a  
 finibus nostris, arceri queat. Hesternæ  
 die *Veltherus* Consilii Præses, nomine  
 procerum omnium, principi Kuracki-  
 nio, Magni Russorum Ducis Legato, de  
 pace, quam non ita pridem Nyssadii, in-  
 ter Sueciæ regem, ac Magnum suum Du-  
 cem, conciliatam esse, statibus nostris  
 significauerat, gratulatus est solemniter.  
 Hoc ipso temporis momento cussor ex  
 septentrionalibus partibus Londinum

missus, hac transiit. Ceterum allatæ  
 iam & ad nos sunt litteræ, Petropyrgo  
 a. d. 6. Octob. missæ, quibus pacis leges,  
 quarum sunt viginti quatuor, compre-  
 henduntur.

*Posonii, a. d. 19. Nouemb. Ad diem 12.*  
*Nouemb.* Singulare profus super vrbe  
 nostra phænomenon obseruauimus. Ni-  
 mirum: dies solito serenior, ad meri-  
 diem vergebat, cum post horam ante  
 meridianam decimam, fudo vndique  
 cælo, sol in collectis vaporibus, imagi-  
 nem nobis repræsentaret: (1) Circuli,  
 vniuersum solem, sed latiore ambitu,  
 ita cingentis, vt is quidem versus sep-  
 tentrionem, nec non orientem atque  
 occidentem, iridis forma palam dig-  
 nosci potuerit; meridiei contra immer-  
 sus vix quædam sui vestigia relique-  
 rit. (2.) Vtrumque grandis huius cir-  
 culi latus, orientale iuxta & occiden-  
 tale, eminenti duo soles distinguebant  
 qui radios, illinc quidem in orientem,  
 hinc in occidentem, perpetuo tramite,  
 viæ lacteæ simili spargebant; vtrinque  
 nubecula tenera, colore albo conspicua,  
 collectos. (3.) Ea cæli regione, quæ ad  
 septentrionem spectat, iridis consum-  
 matæ species apparuit, parte gibbosa  
 solem, cornubus autem septentrionem  
 prospiciens. Durauit phænomenon,  
 doctis *Parelii* nomine satis notum, dua-  
 rum fere horarum spatio; profus au-  
 tem disparuit, cum sol lineam meridiei  
 transgressus, in occidentem cœpisset in-  
 clinare. Alioquin in dies præstolamur  
*Excell. Comitæ a Thürheim* adventum,  
 qui si venerit, plura erunt, quæ pos-  
 sint nuntiari. Excelsa Commissio, quæ  
 religionis querelas diiudicat, nondum  
 consultationes potuit instituere, quod  
 ex his absunt nonnulli, qui partes ali-  
 quas, in re adeo momentosa, obtinent.